



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 2. Perperàm adversus haec allegatur in Appendice auctoritas S.
Gregorii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

neris. Fides hominis sibi displicentis fremere debet in accusatione malorum operum, ut violentia poenitentia cedat consuetudo peccandi.

§. II.

Perperam adversus hæc allegatur in Appendice auctoritas S. Gregorii.

Nihil autem adversum hæc valent, quas hic confirmando proposito suo profert Appendix, Gregorii auctoritates. Dixit quidem hic S. Pontifex, *Lib. 22. mor. c. 13.* cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis; dum scilicet malum quod egit, non abscondendo & occultando defendit, sed agnoscendo & prodendo confitetur; sed quòd citò ac facilè inveteratus peccator, quemadmodum ad justitiam oportet, conversus sit, non dixit, quin potius, si Gregorio standum sit, ex iis quæ hætenus ex ipso prolata sunt, contrarium evici.

Insuper non ita hæc dixit, ac si omnem qualitercumque peccatum suum agnoscentem & confitentem debite putet conversum; hoc Gregorio contrarium est. Dilucidè enim mentem suam aperuit *Lib 2. c. 3. in l. 1. reg.* cum dixit: *Conversio autem peccatoris non est* in

PECCATORIS. 105

in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cum peccatori jam divina inspiratione correcto & malum displicet quod amavit, & bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis: qui profecto converti ad Deum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde, converti enim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cum ad Creatoris nostri beneplacitum, uterque noster homo reducitur, cum & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetracione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.

Sic Antiochus peccatum suum, non debite conversus, confitebatur, quando orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset Lib. 2. Machab. cap. 9. vers. 13. misericordiam consecuturus. Peccatum suum confessus est & Saül, dum dixit: Peccavi quia prevaricatus sum sermonem Domini. Nec Lib. 1. reg. c. 15. v. 24. tamen (ait S. Fulgentius) est indulgentiam consecutus, quia cor ejus non erat rectum coram Deo. Illa enim peccati confessio ex timore fuit Lib. 2. de remiss. pecc. cap. 15. supplicii, non ex horrore peccati. Non odit quod fecerat, sed timuit quod nolebat, nec culpam conversatione culpavit, sed ad præsens divini furoris percussus, terrore contremuit.

Aliud profert Appendix Gregorii dictum

106 C O N V E R S I O

dictum ex hom. 26. in Evang. Hic Lazari refuscitatio & solutio accommodatur conversioni & absolutioni peccatoris. Lazarus enim CHRISTI potestate vivificatus, & jam foras è sepulchro egrediens, Discipulis traditus fuit institis suis solvendus : Hoc, dicit, modo peccatorem interiori conversione à CHRISTO resuscitatum, & jam foras per Confessionem prodeuntem, peccatorum suorum vinculis ab Ecclesiæ Ministris esse solvendum. Id verò assertæ hætenùs Doctrinæ nec apparenter contrarium est : sin autem sufficere putet Appendix omnem qualemcumque Confessionem, jam habet responsum.

C A P U T X.

Quid circa traditam hætenùs de Conversione peccatoris Doctrinam senserit S. Joannes Chrysothomus.

HActenùs SS. DD. potissimum Augustini & Gregorii, præclarissimorum Ecclesiæ luminum auctoritate subnixus, modum comparandæ peccatori conversionis exposui. Chrysothomus tamen huc usque